Obſervationes aliquot rariores de Morboſo Liene, à Spectatiſſimo Domino D. *Nehemia Grew*, M. D. ac R. S. Socio cum eadem Societate communicatæ.

Domini Thomæ Sedgwick *Mercatoris* Londinenſis *Filia, decimo quarto ſuæ ætatis anno ad Operum acupictorum Magiſtram ſe erudiendam contulit. In quibus adeò miræ fuit Indolis, ut iis ſolis totos dies, eoſque ferè continuos, per biennium inſumeret. Hinc Melancholicum Temperamentum connatum in morboſum tranſiit: cui Pallor, Inappetentia, Menſium defectus, atque Tuſſis comitabantur. Et poſt tres annos, gravativus Dolor, in ſiniſtro infimoque Latere, qui ad extremum uſque diem perſtitit, Anno autem ætatis viceſimo ineunte, ex Febre obiit.*

In aperto Cadavere, Pulmones, Jecur reliquaque Viſcera, excepto ſolo Liene, ſana inveni. Hoc vero mirum in modum auctum & tumefactum; nempe craſſum ſupra duos digitos; quatuor latum; longum prope decem. Ita ut, cùm Lien Humanum, quoties rectè habet, vix quinque uncias pendeat; in hac Virgine, quinque & viginti ſuperabat. Et cùm hoc Viſcus, ſicubi ægrotet, Tumoribus ſchirroſis & ſubnigris plerumque indureſcat; hîc è contra, tota ejus ſubſtantia putreſcens, quendam emittebat fœtorem; molliſque adeò fuit ac digitis palpantibus diſſolubilis, ut videretur quaſi grumoſus ſanguis; atque altera pars à prehensâ alterâ, etiam ſuo pondere diſrumperetur. Nihilominus, tam exteriùs quàm intus, rubicundo floruit colore, neque ullo Apoſtemate, aut materia verè purulentâ inficiebatur.

Ex ſolitariis Inſtantiis, non eſt Sapientis δογματίζειν. Liceat tamen ut paulìſper inquirendo philoſophemur.

In-

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775)*. www.jstor.org

In hôc Caſu, iſta Tria ſunt conſideranda, viz. Vitæ genus, Ætas, Ætatiſque Periodus.

Primò enim à tam diuturna exercendi deſuetudine, vix potuit non evenire inæqualis Alimenti diſtributio. Quemadmodum itaque Oſſa, & ſæpe Viſcera, ex inepta Nutritione, ſupra modum augentur in Rhachitide: pariter & hîc Lien, ex eodem Nutritionis vitio, videtur ampliorem molem accepiſſe.

Præcipuè, cùm ſecundò, hâc vitæ conſuetudine uſa eſt illa Virgo, non in provectiori ætate, ſed florente adhuc adoleſcentiâ. Exercitia enim neceſſaria ſunt, etiam ad debitam nutritionem: multò magis ad Partium æquale Incrementum.

Tertiò, & in illa ipſa ætatis periodo, quâ Menſes primo effluere ſolent. Quibus inde ſuppreſſis, vel multùm imminutis, iſte ſanguis, quem deſidioſa Natura omiſit eliminare per conſuetas vias, ex parte in Lienem, quaſi quoddam diverticulum, rejiciebatur.

Corollarium. *Virginibus, nimia Exercitiorum intermiſſio, inprimis circa finem ſecundi, aut principium tertii ætatis Septenarii, peſſima.*

An Account of a Book. Oſteologia Nova, *or ſome Obſervations of the* Bones, *&c. Communicated to the Royal Society, in ſeveral Diſcourſes, Read at their Meetings, by the Learned and Accurate Author,* Clopton Havers, M. D. *and* R. S. Soc. Lond. 1691, Octavo, *for* Sam. Smith.

THE Author offering to give ſome Account of the manner, in which the Bones are firſt formed, ſuppoſes, that they, as all the other parts of the Body, are formed in the Egg before the Female is impregnated, and that the Seed of the Male does only put thoſe Particles, which